

casus, v. g. si constaret quod BONIFACIUS bona sua his legitimis hæredibus relinquere nolisset in casu in quo prole fuisset destitutus, etc. In praxi vero difficillime restitutio saltem ex integro fieri potest, sive ex parte viri, sive præsertim ex parte uxoris.

## CASUS VIII.

RESTITUTIO PRO ADULTERIO 3<sup>o</sup>.

DRUSUS prolem, ex illegitimo commercio cum DRUSILLA susceptam, ad nosocomium secreto deferri jussit, vitandi scandali, famæque tum complicitum propriæ servandæ causa. Verum, licet satis dives sit, ad nullam tamen compensationem pro expensis educationis prolis erga nosocomium faciendam a Confessario induci postest. Quare absque absolutione dimittitur.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An ad aliquid teneantur qui prolem spuriam exponunt, ut colligatur, et in nosocomio suscipiatur atque educetur.*

2<sup>o</sup> *An recte Confessarius egerit cum DRUSO?*

SOLUTIO :

747. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Affirm. probabilius*, cum sententia communi. Ratio est, quia, si pia loca a munificentia fidelium fundata sint, pii fundatores non sunt præsumendi voluisse parentes divites ab expensis eximere; quippe qui eleemosina non indigent. Si vero a Gubernio erecta sint, hoc non magis fornicatoribus favere intendit. Ergo... — Attamen *S. Lig.* sententiam oppositam non solum ut *probabilem*, sed etiam ut *probabilior* habet, n. 656, quia pia loca erecta sunt generatim pro omnibus infantibus qui a parentibus abjiciuntur. *V. Comp. n. 734.*

748. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* Non videtur damnandus confessarius, quippe qui sententiæ communi se conformavit. Insuper recte potuit DRUSO aliquid solvendum præscribere, saltem ratione pœnitentiæ, etiamsi ratione strictæ justitiæ non potuisset. Caveat tamen Confessarius pro sua prudentia, ne rigorosam et absolutam obligationem imponat, quando advertit pœnitentem non esse monitioni obtemperaturum, quia absque fructu, imo summo ejus periculo illum a Sacramentis averteret. In hoc igitur casu sententia *S. Ligorii* facilius uti licebit: *In omnibus respice finem.*

## CASUS IX.

## UXORIS ADULTERÆ CONFESSIO.

ZUMELLA, vidua, e vivis abitura, congregatis quinque filiis, declarat unum ex ipsis spurium esse, et ab eis postulat utrum velint ut quis sit ille aperiat, aut malint sibi invicem illius injuriam remittere. Obstupefacti et perturbati siluere primum omnes; subinde singuli declararunt se malle ut res alto premeretur silentio.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An mulier adultera teneatur se declarare, ad damnum proli legitimæ impediendum?*

2<sup>o</sup> *An filius qui diceretur a matre spurius, ei credere deberet?*

3<sup>o</sup> *An recte egerit ZUMELLA?*

4<sup>o</sup> *An condonatio mutua filiorum valeat?*

SOLUTIO :

749. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Neg. generatim loquendo*, quia communiter hujusmodi revelatio sine maxima matris infamia et gravissimis incommodis totius familiæ fieri nequit. Insuper tali modo difficile damnum reparari posset. *S. Lig. n. 653.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. Neg.* etiam, quia nemo tenetur credere, in suum gravissimum incommodum, unico testi, etiam probatæ fidei, nisi alia indicia evidentissima accedant. *S. Lig. n. 654.*

*R. ad 3<sup>m</sup> Quærs. Neg.* Remedium est malo pejus. Hæc enim agendi ratio est imprudentissima, quia potest esse causa proximæ suspitionum et dissensionum, etiamsi spurius nullo modo designaretur.

750. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quærs. Neg.* pariter; talis enim matris propositio est iniqua, quia omnibus filiis metum gravem injicit, et efficit ut suspitioni illegitimi ortus subjiciantur. Hinc tali via mater nullatenus ab onere restitutionis excusaretur. Confessarius igitur nunquam hujusmodi praxim suadere, neque permittere potest. *Lugo, D. 13, n. 42.*

## CASUS X.

DEFRAUDATIO IN TRIBUTIS 1<sup>o</sup>.

SEVERINUS, Sacerdos, confessiones excipiens, sedulo pœnitentes interrogat utrum nonnihil defraudaverint in tributis solvendis pro mercium emptione, venditione aut transvectione; item utrum præpositos devitaverint, vel etiam utrum ultro omiserint merces transvectas præpositis manifestare, etiam non interrogati: fatentes autem obligat ad restitutionem integram præpositis faciendam, seriamque promissionem ab iis exigit, et quidem sub absolutionis denegatione, non amplius de cætero delinquendi.

BLANDINUS autem, alter Sacerdos, de proposito nunquam pœnitentes circa tributa interrogat; si quos ultro confitentes audiat, tacet; interrogantibus de liceitate defraudationis respondet non videri quidem illicitam, saltem post factum non esse restituendum; imo damnare non audet præpositos negligentes aut malevolos in officio suo adimplendo, nec ipsorum præpositorum corruptores.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An detur stricta obligatio in conscientia solvendi vectigalia seu tributa, quæ pro mercibus vendendis aut evehendis statuuntur?*

QUÆR. 2º *An vel, vel quomodo peccent præpositi in officio negligentes, vel defraudationem permittentes, et an teneantur restituere fisco, tum pro damno emergente, tum pro mulcta quam defraudantes solvere debuissent?*

3º *Quid de ratione agendi utriusque Confessarii?*

SOLUTIO :

751. — *R. ad 1º Quæs.* Nemini dubium est adhortandos esse fideles, ut tributa omnia diligenter solvant. Attamen non tenetur Confessarius petere a pœnitentibus, utrum alicujus defraudationis sint rei; hoc enim a praxi communi omnino alienum est. Non est constitutus Confessarius sicut vectigalium præpositus, aut exactor publicus. Quod vero ad forum conscientie attinet, generatim fideles etiam timorati non existimant se peccatum, saltem grave, committere, neque ad restitutionem teneri, si quandoque vectigalia solvere omittant, si merces propter quas tributum exigitur occultent, si præpositos declinent. Plerumque nihil proficeret Confessarius, si e bona fide eos excutere contenderet. Insuper res maximæ controversiæ inter Theologos subjicitur, nec pertinet ad Confessarium eam dirimere. *V. Comp. n. 738.*

752. — *R. ad 2º Quæs.* 1º Præpositi tributum non exigentes peccant *per se* contra justitiam et quidem *graviter* in materia *gravi*, quia *ex officio* stricte obligantur ad invigilandum atque ad tributa diligenter exigenda; et consequenter ad restitutionem erga Gubernium tenentur. Excusandi tamen videntur, si in re levi benignius agant, præsertim cum pauperibus, vel etiam cum iis qui diligenter solvunt.

2º Non tenentur restituere fisco pro mulcta quam defraudantes solvere debuissent, quia non sunt constituti ad procurandum fisco lucrum ex mulcta, sed ex tributis. Constat etiam ex praxi contraria, cui consonat sensus communis. *V. Comp. n. 693, 745.*

753. *R. ad 3º Quæs.* 1º Quantum imprudens fuerit in tota sua agendi ratione SEVERINUS, luce meridiana clarius est. In posterum absteineat a pœnitentibus, qui de tributis tacent, vexandis. Prudentius silebit et ipse; quod si interrogetur, adhortetur ad tributa omnia fideliter præstanda, sed caveat ne solvat difficultates, quas etiam doctiores dirimere non valent.

2º BLANDINUS in sensu opposito ulterius procedit: errat enim, a peccato et a restitutionis obligatione eximendo præpositos gabellarum negligentes in officio adimplendo, aut defraudantibus indulgentes, et eos qui præpositorum prævaricationi cooperantur, eos v. g. pecunia corrumpendo. Constat ex supradictis.

## CASUS XI.

### DEFRAUDATIO IN TRIBUTIS 2º.

FORBINUS vendit GIBERTO prædium triginta francorum millibus. Velent autem imminuere tributum gravissimum venditioni immobilium a Gubernio impositum. Quomodo facient? Industria nota est, imo et communissima. Conveniunt de pretio 20 millium francorum tantum in actu publico manifestando et inserendo. Pergunt ad notarium, et hunc inferio-

rem valorem solum declarant. Subridens notarius, quippe qui verum prædii valorem noverat, ait GIBERTO: *Egregia tibi res erit, papæ! hui!* et tacitus actum conscribit.

HINC :

QUÆR. 1º *An graviter peccent contra justitiam illi qui, empto prædio, in contractu minus fingunt pretium ne solvant tributum?*

2º *An in hoc casu notarius, qui fraudem novit et contractum scribit ad restitutionem teneatur?*

3º *Quid, si notarius id contrahentibus suasisset?*

SOLUTIO :

754. — *R. ad 1º Quæs. Controvertitur:* triplex datur sententia probabilis. 1ª *Sententia affirmat* cum Bouvier, *de Restitut. in specie q. 4, a. 3, § 2.* Ratio est, quia est semper fraus et mendacium celare verum pretium in venditione solutum.

2ª *Sententia obligat* ad declarandum non quidem pretium ipsum solutum, sed intrinsecum rei valorem saltem infimum, quo res absolute emi potuisset; quia talis declaratio æquitati conformis est, nec potest esse contra mentem legislatoris, qui intendit tantum percipere tributum valori rei aliquo modo proportionatum. Imo plures dicunt satis esse, si declaretur paulo ultra dimidiam pretii partem. *Rousselot ed. Sættler, de Leg.*

3ª *Sententia, quæ probabilior videtur,* eximit contrahentes ab omni obligatione pretii veri declarandi, quia lex non videtur aliud intendere nisi firmare contractum publicum, et traditionem rei, sicut solutionem pretii, et dare assecurationem in casu litis judiciariæ, v. g. *evictionis*, etc. Quare nulla apparet conscientie obligatio, neque declarandi pretium solutum, neque valorem, saltem infimum, quo res æstimari possit. Sed illi qui rei pretium plus æquo imminuunt, se periculo mulctam solvendi exponunt. Quod vero spectat ad successiones, satis erit declarare valorem juxta redditus annuos, ut ex generali consuetudine fieri solet. *Sic Collator Aniciensis, de Leg., part. 3, sect. 3. — Valentin, Examen sur les professions, etc., c. 8, n. 239. — Cæterum Gubernium, ope cadastræ, modum facilem præ manibus habet fraudes hac in re detegendi.*

755. — *R. ad 2º Quæs. Nego:* etenim notarius non constituitur *ex officio* ad tributa fisco procuranda, ut præpositi tributorum, sed ad actus publicos recte conficiendos. Declaratio autem pretii, ad valorem actus non pertinet. Insuper, neque peccat contra justitiam defraudatione cooperando, quia probabiliter a peccato excusantur ipsi contrahentes.

756. — *R. ad 3º Quæs.* Crescit difficultas: alii dicunt notarium in hoc casu teneri ad reparandum damnum quod fisco infertur, quia, si non teneatur ad impediendam defraudationem in tributis, tenetur saltem ad non cooperandum modo positivo. Verum ab aliis excusatur, quia, si non peccant in hoc contrahentes, neque peccat notarius, cooperando etiam *positive*. Notarius enim, licet homo publicus, non est tributis præpositus. Ergo non tenetur *ex officio* procurare ut solvantur. Ergo sub illo respectu est homini privato æquiparandus. *Id probabile censet Valentin, ibid.*

## CASUS XII.

## DAMNUM OCCASIONE MILITIÆ.

1° PLACIDUS ad militiam sorte cogitur. Paulo post, tædio affectus, et periculo corporis necnon animæ perterritus, derelicta secreto statione, arreptaque fuga, tam bene delituit, ut per varios annos a satellitibus nunquam detegi potuerit. Verum, cum ad confitendum accessisset, ei pro salutari pœnitentia injunxit Confessarius, ut stationem illico repeteret. Sed surdam præbens aurem ille, confessioni æque ac militiæ valedicit.

2° PACIFICUS, non minus a militia quam a peste abhorrens, sorte tamen designatus, digitum indicem dextrum sibi amputat, et sic legi conscriptio- nis se subtrahit. Elapso anno, confitetur; sed absque absolute dimittitur, donec ei, qui suo loco profectus est, restituerit.

HINC :

QUÆR. 1° *Quomodo peccaverit PLACIDUS? An sub gravi militiam re- petere teneatur? An recte Confessarius egerit?*

2° *An PACIFICUS peccaverit contra justitiam legalem vel etiam commutativam? Quid, si, ante sortem ipsam, sibi di- gitum amputasset, aut fugam in aliam patriam arri- pisset?*

SOLUTIO :

757. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* 1° PLACIDUS *per se* peccavit graviter contra justitiam legalem, seu contra obedientiam Principi debitam. Ratio est, quia leges quæ militiam recipiunt, sunt justæ et necessariae ad rectum ordinem, et proinde in conscientia observari debent.

2° Tenetur proinde *per se* sub gravi redire ad castra, quia, si peccavit graviter aufugiendo, permanet in peccato non redeundo. Excipe, si nimium salutis periculum incurret, v. g. si media confitendi non ei suppeterent, etc., vel si redeundo gravissimis pœnis plectendus esset.

3° Confessarius non sat prudenter egit. Debebat enim perpendere utrum PLACIDUS ad militiam redire posset absque tanto incommodo *spirituali* vel *temporali*, et etiam prævidere utrum obligationi manifestata obtemperaturus esset. Id enim, quod probavit eventus, facile suspicari potuisset. Nam aliud est obligationem in *speculatione* definire, et aliud eam in *praxi* urgere, saltem in multis casibus. *Bouvier, de Damnificatore. — Conférences d'Angers, de Statibus, Conf. 5.*

758. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* 1° *Controvertitur.* Juxta alios PACIFICUS peccavit graviter *per se*, non tantum contra justitiam legalem et obedientiam, sed etiam contra justitiam commutativam, si alter, secus non cogendus, ejus loco substitutus fuerit; quia, injuste oneri militiæ se subducendo, onus illud injecit in alium qui a militia exemptus fuisset..... Singuli enim eximendi *jus strictum* habent ne talia media fraudulenta cum ipso- rum detrimento adhibeantur. *Bouvier, de Restit. q. 2, art. 2. — Gousset, n. 1002. Conf. d'Angers, ibid.*

Alii vero *non improbabili* PACIFICUM nostrum eximunt a peccato contra justitiam commutativam, et proinde a restitutione. Ratio est, quia miles sorte designatus, et fraudulentè militiæ se subtrahens, videtur peccare tantum contra obedientiam suo Principi debitam, neque causa est efficax damnorum quæ aliis inde provenire possunt. *Sic DD. Lyonnet, Tr. de Justit. — Collator Aniciensis, de Justitia, etc.*

759. — 2° Si PACIFICUS ante sortem se mutilasset, *controvertitur* pa- riter utrum peccasset contra justitiam commutativam necne, ob easdem rationes. Si vero in aliam patriam se conferret, ut ibi vitam degeret, nullo modo peccaret, quia lege patriæ suæ absens non adstringeretur, cum lex extra territorium suum extendi nequeat. *V. Comp. n. 749.*

NOTA. Cæterum confundendi non sunt conscripti ad militiam sorte legitima designati, cum iis qui pro injuste liberatis militiam subeunt; his enim indulgendum foret, cum injuste cogentur.

## CASUS XIII.

## DAMNUM OCCASIONE MILITIÆ 2°.

TREPIDANTIUS, militiam maxime reformidans, sorte tamen designatus, ARMANDUM, medicum, pecunia corrumpit, atque ab eo infirmæ valetudinis testimonium obtinet, etsi bene valeat; sicque a militia exemptus dimittitur. En tibi casus millies quotannis repetitus et a te solvendus.

HINC :

QUÆR. 1° *Quid dicendum de TREPIDANTIO corruptore, et de ARMANDO pecunia corrupto?*

2° *An ARMANDUS pecuniam acceptam restituere debeat?*

SOLUTIO :

760. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* 1° TREPIDANTIUS peccavit graviter contra justitiam legalem, pecunia medicum corrumpendo, ut ab eo in fraudem legis invalidus declararetur. Peccavit etiam *probabilius*, juxta dicta in Casu præcedenti, contra justitiam commutativam, si pro ipso alter requisitus fuerit; et tunc tenetur ad restitutionem erga eum qui loco suo profecturus erit in militiam, quia per fraudem oneri militiæ se subtrahit.

2° ARMANDUS, medicus, pariter in hoc ultimo casu *probabilius* tenetur ad restitutionem defectu TREPIDANTII, cum ejus iniquitati efficaciter cooperatus fuerit. Hoc enim ex principiis absolute sequitur.

761. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* Certo ARMANDUS, medicus, pecuniam a TREPIDANTIO acceptam retinere nequit, antequam eum invalidum declaraverit, quia contractus est de materia turpi, et proinde irritus. Facta autem declaratione fraudulenta, *controvertitur*, ut mox dicetur in casibus sequen- tibus *de materia contractus.* *V. Comp. n. 746.*